

in foro Carbonario non procul à Porta Paulana, altera propè aulam Cæsaream, tertia in S. Petri Cœmeterio, quarta in foro ab aula antiqua dicto, quinta propè domum Professam ad Serpentem aureum, sexta in via lucida. Continuamus titulum istum referendo domus eorum, quos Campsores nominamus, quorum quia indies ita augetur numerus, ut certus definiri nequeat, eos hic solùm adducemus, qui aliorum opinione habentur celeberrimi, & quorum nomina aliis etiam in Provinciis magis habentur familiaria, & famosa, ut sic nulla ex parte destituamus Lectorem in iis, quæ eum pro Viennensis Urbis gloria summopere nôsse iuvabit. Bini in vetere Rusticorum foro inveniuntur, in fossa unus, in inferiore Pistorum platea alter, alius in S. Petri Cœmeterio, in aula quapiam Söderhof dicta item unus, in Co-

rona Regia (Landskrön) unus, è regione Sancti Stephani unus, alter non procul ab eodem S. Stephano in domo à potu Turcico Cavè celebri, alius aulam Gundelianam, alius Kellerianam, alter demum Ratisbonensem aulam incolit. Tandem ad Titulum istum reducimus domum Monetariam, tum illam, quæ intra Civitatis muros non procul à S. Stephani visitur, tum eam quæ extra muros in Civitatis fossa est sita, in hac argenti, aurique metallum in massam liquefit, & debite ad Monetariam formam recipiendam disponitur, in illa verò ipsa pecunia, eaque tam aurea, quàm argentea efformatur: præ reliquis videre arridet aureorum, Imperialiumque, utpote quorum labor est major, efformatio, licet utrumque non cum exigua delectatione & admiratione intueamur.

TITULUS VIII.

Tribunalia, & Instantiæ diversa.

Quod in Eleganti corpore est variis ex-culta dotibus anima, hoc in augusta & splendidis ædificiis celebrata civitate est Justitia; quemadmodum enim sine illa genarum rosæ in pallorem, labrorum corallia in abominationem, oculorum scintillæ in caliginem, & omnis cultus decor in nauseam mirabili metamorphosi transmutatur, sic sinè hac Magnificencia in contemptum, Majestas in fastidium, tota gloria & splendor cedit in derisum: Quare ne mutilatus, aut nullus esset Viennensis Urbis decor, & gloria; ita commiscuit externam pompam interno regimini, ut adamantino sibi connexa vinculo omnium opinione crederentur, ut vel sic aut falsum esse Poëtarum dicam figmentum, qui justitiam excessisse à terris fabulantur, aut Viennam Cœlum esse, in quo suam Astræa locasset sedem, Vatikico, ut volunt spiritu, profitentur. Diversa itaque, sibi que subordinata hac in Urbe sunt erecta Tribunalia, in quibus secundum fas omne, & æquum deciduntur, & componuntur lites, præmiantur honesta facinora, delicta puniuntur: quæ omnia, quoniam Urbi nostræ ingentem addunt gloriam, brevi pennâ perstringam. Quodd si forsan non ad eum ordinem, qui cuivis competeret, ea redigamus, nolumus ea in re ullum facere præjudicium, aut unum, majus altero, digniusque proclamare, sed singulorum solùm referre negotia, & publicam auctoritatem.

Tribunalia Cæsarea numerantur tria, i. Consilium Imperiale Aulicum, in quo causæ solius Romani Imperii, & quidquid ad illud pertinet, agitantur. Habet hæc Præsidem suum aliòsque non pro necessitate solùm, sed splendore quàm plurimos, qui & sapientiâ & virtute clarissimi norunt gravissimas causas discutere,

easque pro Imperii Romani Majestate, ac decencia complanare.

Alterum est Consilium Aulæ Mareschallicum, quo Cæsarei, Regii, & Archiducuales Ministri, & Officiales cum causis suis, & litibus referuntur. Tertio loco Consilium Bellicum numeratur, in quo generales, & supremi æquè, ac infimi exercitus Officiales, Militésque omnes gregarii, tam ii, qui per militare Sacramentum ducibus suis fidelitatem sponderunt, quàm ii, qui Martis experiundi gratiâ, aut Provincias visendi causâ his se aggregarunt, eorumque causæ aguntur. Accedunt Commissariatus, bellicique Commissarii, uti & Mercatores, quos vulgò *Marquetanter* appellant.

Regia Tribunalia reperiuntur bina, quorum primum Hungarica Cancellaria nominatur. Referuntur huc omnia, quæ tam superiorem, quàm inferiorem Hungariam, ac ea, quæ Regna Croatia, Dalmatiæ, Sclavoniæ, ac Transylvaniam contingunt.

Cancellaria Bohemica incorporatarum sibi præter Bohemiam Regionum, ac Provinciarum causas tractandas suscipit. Moraviæ nempe, inferioris, ac superioris Silesiæ, quo etiam utraque Lausnitia, cum Comitatu Glozensi, &c. reducitur.

Separatas ab his Instantias, ac Tribunalia Viennæ habet Austriæ Archiducatus, quæ idcirco Archiducalia ordinario nomine compellantur, has inter intima Cancellaria numeranda venit, quòd causæ omnes unitarum, ac Hereditarum spectant Provinciarum decidendæ, utriusque videlicet Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnoliæ, Comitatus item Tyrolis, Alsatix, &c.

Præter has Instantia prima Regiminis est, ad quam in temporalibus etiam terna Consistoria,

ria, Viennense, Passaviense, & Universitatis re-
ducuntur. Tribunali huic suprema in præfa-
tas Provincias concessa potestas est, neque com-
munes solum, sed & privatas Incolarum, ac alio-
rum causas discernit: quem in finem diversis
ex Statibus apta deliguntur subjecta, ex Statu
Comitum & Baronum videlicet, Equitum, &
Doctorum, qui secundum jura causas decidunt,
& suam opinionem edisserant, præsent tamen
Regimini huic Excellentissimi Urbis Locum-
tenens, & Cancellarius, quorum officium est
aliorum sensus audire, & decretivam sententiam
stabilire.

Alterum Tribunal priori & loco & digni-
tate, uti loquitur Lazius lib. 3. cap. 3. ferè par,
Cameraticum, seu Fiscale nuncupatur, in quo
rationes pecuniariae suscipiuntur, & confirmantur,
Provinciarum, Civitatumque administra-
tiones, officiorum stipendia, & salaria statuuntur.
Constat Tribunal hoc viris nobilitatis, &
Arithmeticae scientia insignibus, quibus Archi-
Ducis loco Camerae Praeses, Romanis olim æra-
rii Praefectus appellatus, præficitur.

Aliud est Tribunal Provinciae Mareschal-
licum, ad quod Provinciales Austriae referun-
tur omnes. Consurgit ex triplici Prælatorum
videlicet, Dominorum, & Equitum statu, suum
& hoc habet Præsidentem, quem Mareschallum,
qui Romanis olim Praefectus Praetorii vocaba-
tur, nominamus, huic de Provinciae, ac Particu-
larium ejusdem personarum negotiis tractare
convenit, in Comitibus locum primum obtinet,
& quæ pro communi bono expedire videntur,
secundum æquum decernit, subordinatum tamen
hoc Tribunal est Regimini, ad quod partes
litigantes ab illo quandoque appellant.

Præter præfata Tribunalia alia adhuc
Viennensis Urbs memorat, quorum admini-
strationes à supradictis sunt separatae, Consisto-
rium videlicet Passaviense, Viennense, & Uni-

versitatis, bina priora, quæ Ecclesias proprias,
Parochos, Casus conscientiae, aliaque ad com-
munem ædificationem, fidei Catholicae aug-
mentum, animarumque bonum concernunt,
examinant, leges condunt, lites componunt, &c.
Qui Consistoriis his præsent Celsissimorum
Episcoporum utriusque Diocesis, sunt Officia-
les, habentque singuli Notarium suum & Asses-
sores. Consistorium Universitatis forum specia-
le habet, idque mixtum, non solum quoad Ju-
risdictionem, aut Judices, & membra, sed etiam
quoad causarum criminalium, & civilium cog-
nitionem absolutam, & jus membra sua ex-
communicandi, & absolvendi, sibi à Pontifici-
bus concessum. Vid. Bullam Martini Rom.
Pont. Florentiae 6. Calend. Jun. anno 1420.
emanatam. Ad hoc Consistorium pertinent,
omnes illi, quotquot ad artes liberales referun-
tur, & ab Alberto Contracto, & Rudolpho IV.
Austriae Archiducibus 1360. constitutum est,
ut Lazius lib. 3. c. 2. Primum, quem caput
Consistorii venerantur, Rectorem Magnificum
appellant, qui quatuor Facultatum Decanos,
& totidem Nationum diversarum Procuratores,
aliisque Consistoriales sibi habet in Consistorio
Assistentes, de quibus omnibus titulo *Univer-
sitas* pluribus.

Aliud denuò Tribunal est Magistratus Civi-
ci, ad quod Cives omnes tam intra, quam ex-
tra Urbem degentes pertinent: Habet hic Ma-
gistratus Consulem & Judicem, illius est res te-
stamentarias, & Codillos approbare, rejicere,
Tutores constituere, Civitatis commoda pro-
curare, mala avertere, &c. hujus verò causas
criminales examinare, debita, aliasque lites
componere, &c. Cuius Curia specialis, & 12
Senatores assignati sunt, quibus Principis loco
assignatus est unus, quem Civitatis Vicarium,
vulgò *Stadt-Anwalt* appellant.

TITULUS IX.

Litteræ, & Universitas.

Quanto jam à primis annis fuerint in præ-
cio Litteræ, liberalisque disciplinae,
plenæ sunt librorum paginae, & varia
per orbem tot impendiis erecta Lycea abundè
demonstrant, loquuntur tot Cæsarium sensa,
tot decreti Professoribus Censuræ, tot domicilia
per Urbes, & oppida litterarum auditoribus in-
structa: Certò Macedonum Principi tanti erat
vel unus Poëta Homerus, ut libros ejusdem,
si Plinio fidem damus lib. 7. cap. 29. auro gem-
misque diviti incluserit scrinio, neque suavius
se quiescere crederet, quam si eosdem capiti
una cum pugione supposuisset: Quid, quod di-
vini litteratis, ab antiquis nostris statuti hono-
res, statuae ac Colossi positi, sepulchra & Mau-
solæa Regia post eorum sunt mortem constituta?

quid, quod orbe toto separata à nobis, ac litterarum rudes Americanæ gentes ab Hispanis subactæ litterarum usum certissimum Divinitatis argumentum esse putarent, cum chartæ scriptæ vocem occultam inesse animadverterent? Cleza tom. 2. histor. Peruan. cap. 34. quæ omnia luculentum dant testimonium, summamque Viennensium Urbi accedere gloriam ex florentissima illa, ac fecundissima sapientiæ Matre litteraria Universitate, ex qua tot indies litterati prodeunt Filii, tot tam sacræ quam profanæ reipublicæ decora progignuntur; ut vel ideo mihi non leviter deliquisse viderer, si hanc Viennensis Civitatis non modicam gloriam præterissem.